

per modum compositionis, et iudicii, non a simplici apprehensione, cum aliæ potentiæ a simplici objecti sui propositione moveantur, ut visus, et alii sensus, ea est: Quia voluntas, et appetitus non solum habent actum prosequendi, et tendendi in objectum, sed etiam fugiendi, quia debent discernere inter conveniens, aut nocivum, alias possent nocere ipsi appetenti, si inter ista non discernerent; ergo oportet, quod objectum ipsius propositum non sit simplex apprehensio objecti, sed cum discretione convenientis, aut nocivi. Hoc autem non fit nisi cognoscendo, quod hoc sit conveniens, illud vero non, quod utique complexionem aliquam, et compositionem petit, et discretionem iudicii. Quod non contingit in aliis potentiis, quæ præcise habent tendere in objecta sua, non autem circa opposita versari, et fugere per aliquem actum. Unde intellectus, qui habet assentiri, et dissentiri, etiam componit, et dividit, eique in hoc conformatur voluntas, appetitus autem in brutis æstimationi, seu instinctui naturali, qui convenientiam illam per modum iudicii repræsentat.

X. Nec fundamentum Vazquez aliquid valet. Resumitur enim in hoc, quia in brutis movetur appetitus sine compositione, et divisione, quia componere, et dividere proprium est intellectus discurrentis; ergo etiam voluntas poterit sine compositione, et divisione moveri saltem in aliquibus actibus, quia non minus potens est ad movendum intelligibile simpliciter apprehensum, quam sensibile.

XI. Respondetur ex dictis et ex Aristotelis, et D. Thomæ locis citatis de anima, quod appetitus sensitivus non movetur compositione et divisione propriæ, et strictè sumpta prout sit cum collatione extremo-

rum, et ex arbitrio, bene tamen cum compositione, et divisione late sumpta, quæ est iudicium discernens unum ab alio cum complexione, et conjunctione extremorum repræsentantium convenientiam, aut disconvenientiam alicui inesse, et hoc ex naturali instinctu. Voluntas autem movetur iudicio compositionis, aut divisionis propriè dictæ, quia perfectiori modo movetur quam sensus, unde intelligibile facit idem, quod sensibile eminentiori modo. Si quando autem movetur voluntas naturali modo, tunc movebitur ex iudicio formato ad instar brutorum, scilicet ex instinctu.

XII. Tertio notandum est, quod cum dicit D. Thomas in articulo secundo consilium non esse de fine, quia habet rationem principii; in consultatione semper sensum esse formale, quatenus habet rationem principii; nam si finis sit dependens ab aliquo priori, vel quia est finis intermedius, dependetque ab ultimo, vel quia in ipso ultimo agitur de eo quod materialiter se habeat ut finis, bene potest de fine esse consultatio. Et hoc modo de eo quod materialiter est beatitudo, et qui pro beatitudine sequendum sit potest esse consultatio, quia potest esse quæstio. De ipsa autem beatitudine quantum ad rationem formalem, quæ est ratio boni, nulla est consultatio. Quare non solum de mediis, sed etiam de materiali fine, seu de fine pro materia, et de fine intermedio potest esse consultatio, nam potest aliquis ambigere an sequatur vitam voluptuosam, an honestam; an Deum velit habere pro fine ultimo, an se ipsum; an adorare idola, an Deum verum. Et sic supra disputatione prima diximus circa materiam finis ultimi non necessitari voluntatem quoad specificationem, sed solum circa finem ultimum, seu beatitudinem secun-

dum formalem rationem. Ubi autem potest esse ambiguitas, et quæstio, et ratio ad utrumlibet, potest esse consultatio. Sed D. Thomas loquitur de fine in sensu formali, ut habet rationem principii, de fine enim dependenti ab alio priori concedit esse consultationem. Et idem est de fine materiali, qui potest esse multiplex, dependetque a formali ratione, ut a priori.

XIII. Quarto notandum est circa dubium, quod movet Cajetanus in articulo quinto, quomodo probet D. Thomas quod consilium procedit modo resolutorio, quia processus a causis ad effectus est compositivus, ut pote a causis, quæ sunt simpliciores ad effectus, qui sunt compositi. Processus autem ab effectibus ad causas sunt resolutivi, ut pote a magis compositis, magis simplicia. Et autem discursu potius inferitur, quod processus consilii sit compositivus, quia procedit a fine ad media, finis autem vere, et propriè est causa; ergo oppositum infert D. Thomas ejus quod inferendum est.

XIV. In hoc dubio expediendo multa consummit Cajetanus, et alii recentiores. Nos breviter ex ipsa littera D. Thomæ resolutionem accipimus. Quando enim S. Thomas dicit processum a causis ad effectus esse compositivum, loquitur de causa in via executionis, non de causa in via intentionis: et similiter processus ab effectibus ad causas est resolutorius, scilicet cum proceditur ab effectibus ad causas via executionis, non via intentionis. Expresse enim dicit D. Thomas in dicto articulo quinto: « Quod procedere a causis ad effectus est processus compositivus; si autem id quod est prius in cognitione sit posterius in esse, est processus resolutorius, utpote cum de effectibus manifestis iudicamus resolvendo in causas simplices. » Ubi expresse excipit sanctus doctor

causam, quæ solum causat in vi intentionis, in executione autem potius est effectus, quam causa. Et sic consultatio procedit a fine, ut ab affectu magis noto, quia supponitur ut magis notum, quod convenit assequi in executione talem finem (licet in intentione præcedat) et consultatio cum ad assecutionem dirigatur respicit finem via executionis, non via intentionis (licet illam supponat.) In via autem executionis finis est effectus, et proceditur ad inquirendum de ejus causis, id est, de mediis, quæ sunt causæ ipsius in via executionis; ergo est processus resolutorius in hac via executionis in qua solum procedit consultatio. Et cum dicitur, quod procedit a fine, et finis est causa, distingo: a fine in via executionis, concedo; in quo ordine finis non est causa, sed effectus, a fine in via intentionis, nego: sed hunc ordinem intentionis (in quo solum finis est causa) præsupponit consilium, et sic pertinet ad ipsum præsuppositive, formaliter autem tendit ex fine in via executionis considerato, scilicet ut assequendus est per media.

XV. Ultimo notandum est circa illam quæstionem, an liceat minus malum consulere, eo quod est axioma commune, quod ex duobus malis minus est eligendum; quod autem est eligibile est consultabile, ut diximus ex philosopho. Sed respondetur, quod hoc axioma: Ex duobus malis, etc. intelligendum est de duobus malis pœnæ, vel damni, non culpæ ut culpæ, sed præcise sub ratione damni. Quod si damnum non possit fieri sine peccato, tunc est dubium, an possit consuli minus, ne fiat majus, supposito quod utrumque est peccatum, verbi gratia, consulere alicui ut verberet, vel percutiat, ne occidat: consulere fornicationem simplicem, ne cadat in adulterium, vel sacrilegium. Et tunc di-

cimus, quod si alter nondum sit determinatus, et firmatus ad faciendum malum, non licet, quia est inductio ad peccatum inclinando animum alterius ad ipsum; et præsertim hoc non licet, quando est in damnum, et præjudicium tertii. Si autem alter sit firmiter determinatus ad faciendum aliquod ex his malis, vel ad faciendum majus malum, tunc multi dicunt id licere saltem sub conditione, quia tunc per se non influit in minus malum, sed revocatur a majori. Quare sic debet intelligi ista sententia, quod in illo casu est licitum consulere illud minus malum, non positive inclinando, et influendo in illud ut fiat; sic enim urget valide argumentum, quia ille qui eligit tale minus malum, etiam relinquendo, seu nolendo majus, peccat; ergo et ille qui consulit, si

eo modo consulit, quod ille eligit, id est, positive ad id inclinando. Solum ergo consulens potest negative, aut permissive se habere erga minus malum, scilicet deterrendo a majori malo, et tolerando, aut permittendo, vel omittendo minus, verbi gratia, si quis dicat: Volo firmiter occidere Petrum, volo te occidere, aut pecuniam tollere, possum dicere: Ne interimas, quia est magnum malum, de minori autem, vel tacere, vel solum dicere, quod est minus malum, aut loqui conditionaliter, si hoc non esset malum, tolerabile esset, aut aliquid simile; et latroni offerre possum pecuniam ne me occidat, quia hoc non pertinet ad consilium de furando, sed ad tolerantiam, et permissionem, ut redimam vexationem meam.

## QUÆSTIO XVI.

### DE USU.

#### SUMMA LITTERÆ.

Usus, et uti dicuntur correlative ad utile. Utile autem proprie dicitur de medio in ordine ad finem. Et tunc utimur, seu habemus aliquid in usu, quando illud in servitio, et exercitio applicamus ad aliquid faciendum, aut consequendum. Et ideo usus maxime pertinet ad ordinem executionis in his, quæ ordinantur circa finem, quamvis etiam in lata significatione, quamcumque applicationem voluntatis ad aliquid possit significare.

Igitur in articulo primo ostendit D. Thomas usum, seu uti esse actum voluntatis, quia importat applicationem alicujus rei ad operationem, seu exercitium aliquod, et sic supponit ex parte intellectus directionem ordinativam ad id, ad quod exercitium ordinatur, formaliter vero exercetur, et consummatur in ipsa applicatione rei ad talem usum, applicare autem cum tali ordinatione proprium est voluntatis.

In secundo articulo ostendit, non inveniri in brutis hujusmodi actum, qui est uti, quia bruta applicant suas potentias ad usum, et exercitium instinctu naturæ, non arbitrio, et ordinatione unius ad aliud, quod proprie est uti, uti enim respicit utile, et hoc sumitur per ordinem ad finem.

In tertio articulo ostendit, quod uti non versatur circa ultimum finem, quia uti est circa utile, quatenus applicatur in ordine ad aliud. Utile autem non est finis, sed id quod ad finem se habet, et ei accommodum est, et sic finis est fruibilis non utilis.

In articulo quarto ostendit, quod uti directe, et proprie est post electionem, eo quod usus pertinet ad ipsam executionem, ut realiter exhibendam, non ut interius appetendam, et habendam, applicat enim potentias, et utitur eis ad exequendum. Per electionem autem nondum ponitur assensio in re, sed intus eligitur, post illam ergo sequitur usus. Large tamen loquendo de usu, aut etiam reflexe, ante electionem utitur voluntas intellectu ut proponat, et tractet de electione.

## QUÆSTIO XVII.

### DE ACTIBUS IMPERATIS A VOLUNTATE.

#### SUMMA LITTERÆ.

Tria tractat in hac quæstione D. Thomas per novem articulos. Primum est cujus sit imperare, scilicet ad quam potentiam, et ad quæ subjecta pertineat, inde enim maxime pendet notitia quidditatis imperii. Secundum